

ANNO DOMINI DCCCIX.

**SANCTUS SIMPERTUS**

ABBAS MURBACENSIS.

**NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM SIMPERTUM.**

(Ex Fabricio, Biblioth. med. et inf. Latinitatis.)

**S**impertus vel Simpertus, abbas Murbacensis et episcopus. Expungunt eum ex serie abbatum Murbacensis Gabr. Bucelinus et Car. le Cointe Annal. Francorum; restituit autem illum Mabillonius.

De episcopatu ejus non omnia huc usque fuerunt clara. Mabillonius sedem ipi ignorantem dicit. Auctores Historie litterariae Galliae, tom. IV, p. 562, eum episcopum Augustanum an. 809 mortuum dicunt. Melius Eccardus Rerum Francicarum xxv, 46, 47, ex variis documentis ipsum Ratisbonensem, et an. 791 defunctum esse, asserit.

Eius Epistolam Encyclicam admodum brevem edidit Mabillonius, Annal. p. 418, cui accedit alia salutatoria. Regularia statuta monasterii Murbacensis edidit Bern. Pez. tomo II Thesauri Anecdotorum novissimi, p. 72.

---

**SANCTI SIMPERTI  
REGULARIA STATUTA MONASTERII MURBACENSIS.**

(Apud Pezium, Thesaurus Anecd. nov., t. II.)

In nomine Domini amen. Noverint universi praesens publicum instrumentum, infra scriptorum regularium statutorum et ceremoniarum tempore sancti Simerti episcopi Augustensis ac abbatis monasterii Murbacensis promulgatorum pariter et observatorum transumptum seu transcriptum continens, inspecturi, quod anno a Nativitate Domini Incarnationis millesimo quingentesimo, inductione tertia, die prima mensis Maii, hora ipsius diei octava vel quasi ante meridiem, in loco capitulari monasterii Murbacensis, serenissimo principe et domino domino Maximiliano Romanorum rege feliciter regnante, in mei notarii publici testiumque infra scriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, presentia personaliter constituti reverendi, honorabiles ac religiosi viri domini Waltherus de Wiltsperg abbas, Leonhardus de Reichenstain decanus, et capitulum, seu conventus ecclesiae, seu monasterii imperialis sancti Leodegarii in Murbaco, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Basiliensis dictæcessis, proposuerunt et verum esse assuerunt, quod anno inductionis, ut supra, die prima mensis Aprilis, propter evidentes et urgentes necessitates dicti monasterii Murbacensis, nec non ob præceptum regale abbati prefato factum ad dietam sacri imperii principibus in Augusta prestatam, ministerialium ipsius monasterii certa scientia et expressa voluntate accidente ad Augustam

A destinarunt venerabilem et egregium virum fratrem Joannem Naburg sacre theologiae professorem et decretorum doctorem, monachum predicti monasterii et prepositum ecclesiae beate Virginis in Murbaco, qui ob sancti Simerti et abbatis honorificentiam adiit monasterium sancti Udalrici in Augusta ordinis ejusdem, et, ut idem asserebat, quod læta inibi humilitatis fronte fuerit susceptus. Inter colloquendum abbas sancti Udalrici et nonnulli alii Patres regulari pollentes institutione sancti Simerti (ut decet) debitum honorificentiae cultum ampliare cupientes, prelibato doctori ac monacho humiliter supplicarunt, quatenus regularia instituta tempore sancti Simerti custodita, et ab eodem promulgata transumi et transferri faceret, et ab abbe Murbensi fieri impetrabat.

B Unde predicti reverendi, honorabiles ac religiosi viri domini abbas, decanus et conventus antedicti monasterii Murbacensis piis annuere votis et veritati non deesse, et magnificum vitæ ac famæ decus sancti Simerti Dei intuitu, qui gloriosus est in sanctis suis, propagare cupientes, statuta, ceremonias sancti Simerti, illibatam vitam piarum aurium ædificationem docentes, in una vetusta rotula seu charta pergamenta exarata, certa, sana, integra, illesea, in nullis characteribus rasa aut caduca, tunc mihi notario subscripto ostenderunt, presentarunt atque dederunt, meque in presentia testium subscriptorum